

Mich. Henr. GRIBNER. ¹⁰⁾ et *Io. Petr. de LVDEWIG.* ¹¹⁾ Feuda quoque prouincialia in quibusdam regionibus vltiorem admittunt diuisionem in immediata et mediata. ¹²⁾ At in specialibus eiusmodi prouinciarum institutis morari nostrum non fert propositum.

[p. 113.]

CAPVT IV. DE FEVDIS IMPROPRIIS.

DISTINCTIO I.

Inter feudum femininum per se, ex pacto et lege tale.

Rubrum A.
explicat et

Feudum femininum per se tale Doctoribus dicitur, *quod a femina primitus est adquisitum,* et respectu descendantium *maternum* dici solet; *ex pacto tale illis, est quod a masculo quidem adquisitum, sed adiecto pacto, ut feminae pariter ac masculi in eo sint successionis capaces.* Prius in iure feudali Longobardico feudi feminini nomine tantum insignitur, non vero posterius ¹⁰⁾ Vnde est, quod interpretum nonnulli, quibus sine lege loqui religio fuit, huic feudi feminini

¹⁰⁾ in *Diss. de subfeudorum imperii, quae olim immediata fuerunt, praerogativa.* MOEL.

¹¹⁾ in *Diss. de primo foro subfeudorum imperialium.* MOEL.

¹²⁾ Sic in Saxonia sunt vel Schriftsassica vel Amtsassica, de quibus, si cuius plura de his nosse interest, legi potest *Io. SCHILTERI Commentatio de Landsassii, Amtsassii et Schriftsassii quae inserta est Prax. iur. Rom. post Exerc. 13.* MOEL.

¹³⁾ I. Feud. 15. II. Feud. 11. II. Feud. 26. §. 9. II. Feud. 30. II. Feud. 50. 103. 104. MOEL.